

nulla superficies, non sistitur, et in interminatum spaciū funditur, et diffunditur; claritate tamen sua spectatur; sicuti et tenebra, eadem spectatur itidem obscuritate. Radii quoque solares qui lumen primarium sunt, et inter lucem et lumen diffusum medii, distinctissimi in aere contra solem spectantur. Quod de lumine extra terræ umbram posito dictum est; idem de eo dicatur, quod extra umbram, Lunæ in Solis eclipsi, vel spectatur, vel non spectatur: et quamquam nullus umquam ea lumina oculus spectaret, cœleste tamen lumen versus terram effunderetur, sicuti et nunc effunditur; et eam amplectitur ad instar columnæ. Lumen enim, ut inquit, Divinus Plato, per universum cœlum, ac terram extensem ut columnā, iridi simile est, sed purius. Idque est coeli ligamentum, et terræ. Cuius vinculi extrema ad terram usque sunt protensa.

FINIS SEXTI LIBRI.